

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**Leopoldi II Belgarum regis laudatio** habita in aede Xystina coram SS. D. Pio PP. X a Petro Angelini S. S. ab epistolis ad Principes XVI cal. Februar. an. MDCCCX.

**De sacra Theologia.**

**Hymni duo in honorem S. Sophiae Vid. Martyris.**

**Commentationes philologicae.** — De Luciano.

**Varia.** — De vetustate seminis frumenti.

**Colloquia latina.** — Deliberatio de Iusu.

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.**

**Diarium Vaticanum.**

**Annales.** — Cretensis quaestio.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

**Per orbem.**

**Domestica funera.**

**Bibrorum recensio.**

**Libri recens dono accepti.**

**Iocci.**

**Aenigmata.**

**Appendix: Arrae Gorgoniae.**

## LEOPOLDI II BELGARUM REGIS LAUDATIO

HABITA IN AEDĒ XYSTINA CORAM SS. D. PIO X

A PETRO ANGELINI S. S. AB EPISTOLIS AD PRINCIPES XVI CAL. FEBRUAR. AN. MDCCCCX<sup>(1)</sup>

De Principe Viro verba facturus, cuius nomen memoria Belgicae gentis excidet nunquam, velim parem rei magnitudini et loci huius maiestati vim afferre dicendi. Qua ingenii facultate etiam si pollerem, nihilominus et consensus hic orbis terrarum nobilissimus, et augustus praesertim, BEATISSIME PATER, Tui praesentis adspectus nervos omnes virtutis eliderent. Verum erigit cogitatio, honorificum id munus ab Eo mihi fuisse delatum, cuius in vivos benignitas haud minor est quam pietas in mortuos, et complorati Regis laudem imperitia dicentis extenuari non posse, quippe quae sua luce niteat, non mutuato fulgore, pateatque tam late, ut in ea deesse facundia nemini queat. In uberrima vero copia ad argumentum subiecta conabor summas attingere ac sub uno veluti aspectu ponere, quam bene, civilibus et sacrī rebus tuendis, provehendis, LEOPOLDUS rex de sua patria fuerit promeritus.

Olim, quum bella cebrius gererentur atque diuturnius, populorum fortuna tota fuit in re militari posita, eratque prima regibus commendatio ad gloriam si qua ex bellicis rebus comparari potuisset. Nunc vero, positis armis, aut certe ad pacis ornamenta delitescentibus, gratiora sunt ea quae ingenio ac ratione persequimur, quam quae viribus. Quapropter hodierna hominum actio in commodis civitatis tuendis maxime cer-

nitur, omnisque agendi cogitandique solertia in eo versatur ut sit vita munitior, atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re indigeamus. Quia vero singulorum facultates et copiae divitiae sunt civitatis, hinc maximo in honore habentur et agrorum cultura et earum rerum, quibus abundamus, exportatio, quibus egemus inventio; mercatura magna et copiosa, multa undique apportans multisque impertiens; industriae omne genus ac studia maxime illarum rerum, quibus excultior fit hominum vita, ipsaque communitas potest singulorum civium vires ad suos usus adiungere.

His bonis affluere Belgas compertum est omnibus, praesertim ab annis quinque ac viginti, ex quo rerum publicarum administratio per catholicos geritur ea felicitate, ut vix gentem reperias quae cum hoc populo angustis finibus circumscripto sit comparanda. Adeo parum firmamenti habent coniectae ab inimicis criminationes in eos qui causam agunt religionis et iustitiae, quasi scopulo adhaereant ab omnique adscensu humanitatis abhorreant! Iam, si ex florente populi statu licet aestimare principem, magna equidem LEOPOLDO pars est attribuenda laudis. Nec est quod occurratur, in libera civitate, in qua non unius dominatu omnia teneantur, reges esse nomine magis quam imperio. Ne-

(1) Quod Magister clarissimus novo benevolentiae suae erga *Vocem Urbis* testimonio concesserit, ut laudatio haec a nobis ederetur, amplissimas grates referimus.

minem quippe latet quantum fuerit auctoritatis in Belgio rege ad civium voluntates quo vellet inclinandas, aut unde vellet deduceendas.

Dignus igitur suo populo princeps oblatus est Belgis, quem, et ad regiam animi magnitudinem natura finxit, et ad cogitandi agendique solertiam assiduus labor conformavit. Ipsius enim regni diuturnitas, annorum quatuor supra quadraginta, nihil fuit aliud nisi amplitudinis reipublicae perpetua, sapiens, invicta defensio. Commeatus abundare; municipia, colonias patere; maritima augeri commercia; artes quae populi studia conciliant et pergratam utilitatem habent cum dignitate coniunctam promovere: haec omnia ad extremum vitae anhelitum eius menti animoque insederunt. Quod nisi modus in dicendo mihi quaerendus esset, possem rem persequi maxima molis, quae, ab exiguis profecta initiis, auspiciis crevit usque ad invidiam feliebus. Deductas, inquam, ad Congi regiones colonias, unde Belgicae genti multum fortunae ac dignitatis accessit. Qua in re paeclara non desunt iudicia hominum affirmantium, eo prudentiae et celeritatis LEOPOLDUM processisse in arduis consiliis ineundis perficiendisque, ut pauci eidem pares putentur: et, si latius imperium sortitus esset, magna pollere auctoritate in publicis Europae rebus potuisse. Scimus quidem, specie utilitatis, in republica peccari saepissime, ereptoque Regi obiectas fuisse regiones illas Africae ditissimas ad occidentem solem, sui, ut criminantur, commodi causa, exinanitas et exhaustas. Sed hi verbis augent exasperantque incommoda, quae in magna procuratione vitiari omnia non possunt. Qui si secum reputarent, de huiusmodi negotiis quid historia doceat; quantum caedes et misericordiarum secum tulerint, non dicam reperta America aut illata Indis humanitas, sed hac etiam aetate deductae ad barbaras plagas coloniae; quid ipsi denique obtrectatores in simili causa facturi essent; iam desinerent quaerere, cui bono id genus expeditiones fiant, intelligerentque, sacris tantum paeconibus relictum esse, ut suo, non alieno cruore, terras a se peragratas conspergant. Iis igitur, qui ex hoc numero non sunt, convenit fere divina Christi sententia: *qui sine peccato est vestrum, primus... lapidem mittat* (1).

Ceterum suspicio abest ab homine, qui colonorum impotentiam sedulo inhibuit; qui animi magnitudine et comitate sic enituit, ut communis infimis, altior principibus videretur; qui in quovis negotio singulari prudenter ac temperatione se gessit resque summas absolvit, non terrore belli, sed celeritate consilii; qui reipublicae rationibus ea sapientia et aequitate providit, ut, non solum Belgis merito esset carissimus, sed apud exteris gentes gratia et opibus valeret; qui suae testes liberalitatis habet profugos e Gallia complures, quibus maximo in bello male mulcatis, afflictis, egenis regiam patere domum voluit suaque pecunia opitulari. In hominem igitur ea natura comparatum, de quo viri gra-

vissimi tot ac tam paeclara iudicia fecerunt, haec plane non cadunt.

Dixi Caesaris laudes. At vereor ne solemnia pietatis, habita in hac aede sanctissima, longe aliud exquirant. Dieam ergo de catholice Ecclesiae filio, quo maxime nomine Belgae gloriantur. Belgae, inquam, « genus hominum fortissimum », ut verbis utar a Gregorio XVI prolatis, quum ei legationi futurum pontificem destinaret, Leonem XIII; cuius populi, inquit: « Fides et amor erga apostolicam Sedem et erga suos principes multis rebus ac perdiu constitisset ». Dignum sane paeconium, eventibus comprobatum qui postea sunt consequuti; quandoquidem, etiam per eos dies quibus Belgicarum rerum administratio in arbitrium cessit adversariorum, et quoties exstitit de religione ac libertate contentio, ne latum quidem unguem a maiorum virtute Belgae deflexerint nec habuerint quidquam antiquius quam curam transmittendae ad posteros hereditatis omnium pretiosissimae, avitae fidei. Mittam singula persequi existimationis et benevolentiae testimonia, quibus Romani Pontifices eorum in fide constantiam sunt prosequuti, ad recens usque tempus, quo expletum annum quinquagesimum ab adserto Virginis intaminatio conceptu celebrarunt ea significatione pietatis, ut a Te, BEATISSIME PATER, meruerint magnopere commendari, quod ceteris populis insigni incitamento essent.

Iam qui fieri poterat ut, cui alienus a religione animus esset, in eaque re non idem cum populo sentiret, huic, non modo tranquilla et pacata omnia in imperio essent, sed tantum admirationis et gratiae popularis accederet? Quod si scriptum in sacris litteris legimus: *quum impii sumpserint principatum gemet populus*; (1) contra, communis in LEOPOLDUM amor et publicae res ad voluntatem fluentes indicia sunt regiae pietatis. Eiusmodi autem voluntatum conspiratio, ea studia in regem incensa, quum crebro dum vixit, tum vero maxime in obitu, incredibili quadam significatione declarata sunt. Quae privata domus, eo sublato, luctu et lacrimis caruit? Quae vox non desiderium eius memoriamque renovavit? Quae viae Bruxellensis urbis extinctum patriae lumen squalore suo non doluerunt? Comploratus nempe rex est mente animoque Belgicus, adeoque catholicus, cuius vita omnis esset patriae devota, qualem se futurum spopondit in publica contione, quum in patris regnum hereditario iure successit.

Hanc vero, quam initio dederat, egregie praestitit fidem, non modo in iis quae ad humanioris cultus incrementum, sed etiam quae ad religionem amplificandam pertinerent. Probe enim intelligens, in catholice veritatis professione originem et fontem humanitatis inesse, impense studuit ut ea beneficia, non intra patrios fines continerentur, sed ad recens additos ditioni suae populos manarent; eiusque propagationis ipse auctor exstitit ac libens patrocinium suscepit. Ex quo

(1) *Proc.*, XXXIX, 2.

illud obtigit, ut Belgae complures, Regis in exemplum, ad nova studia catholici proferendi nominis per Africam gentem statim exarserint. Hanc autem fuisse LEOPOLDI voluntatem, ut inferendae humanitatis opus Religioni crederetur, ostendunt tot sacrae phalanges ex variis religiosorum sodalium familiis conflatae, quae ipsius excitamentis erectae opibusque regia munificientia dignis adiutae, latissimos illos tractus ab errorum caligine ad veritatis lumen deducendos gloriosam sibi metam constituerunt. Quod si tanta eum incessit cupidio quaerendae salutis dissitarum gentium, iam coniici potest quam fuerit de domestica huius generis laude sollicitus. Quamquam, quid opus est coniectura, ubi licet regiae pietatis documenta in illustri posita monumento intueri? Quid enim sibi vult moles illa, quae, in urbe Belgica principe in aedem succerescit sacratissimo Cordi Iesu dicandam, et cum gallico eiusdem tituli templo amplitudine ac splendore certaturam? Exstant Leonis XIII amantissimae Litterae, auctorem consilii actoremque praecipuum LEOPOLDUM laudibus exornantes. (1) Atque hoc loco non est praeterunda vetus necessitudo, quae ipsi cum apostolica Sede intercessit; cuius rei documento sunt datae ac redditae utrimque litterae saepius. Non potuit quidem in libera civitate constitutus impedire quominus ad reipublicae gubernacula illarum partium accederent homines, quorum insanabile ingenium est praeiudicatis in Ecclesiam opinionibus detineri. Horum opera factum est olim ut vincula abrumperentur, quae Belgarum gentem cum Apostolica Sede coniungunt. Verum nec ea tempestate, rex de sua in Romanum Pontificem observantia quidquam remisit: quin etiam constantis fidei significaciones ab eo exhibitae speciem quamdam visae sunt habere praesagii, haud ita multo post felicissime comprobandi.

Idem, quo aperto ac sincero animo erat, de religione

(1) Ep. die xiii mens. Martii MDCCCLII.

quid sentiret dissimulavit nunquam, haud sane oblitus acceptam ab Amelia Matre pientissima iuvenilem institutionem. Qua vero constantia patriae suae prosperitati se applicuit, usque adeo, ut, vel quum animam ageret, novam legem de scribendis militibus mente agitaret eique subscriberet; eadem catholici viri officia usque ad exitum vitae retinuit. Ad quem se maturius comparavit quam fieri soleat ab iis, qui, dum viverent, indignum suis curis duxerunt in supremum rerum dominum mentem animumque convertere. Itaque exitiali morbo correptus medicum obsecravit, si quid instaret periculi, ne oculeret; velle se poenitentiae sacramento admissa expiare et Christi Corpore vesci.

Tum vero pie morientium subsidiis per curionis aulici ministerium refectus, ac supremis, BEATISSIME PATER, apostolicae Tuae potestatis et caritatis muneribus per pontificium legatum auctus ac roboratus, postquam conceptissimis verbis atque iterato declaravit, se in catholicae Ecclesiae sinu atque in eiusdem communione fidei, spei, caritatis velle dedere, adstantium se precibus commendans, in immortalis spem beatitatis conquiviebat.

Tam caro capite orbata nunc luget Belgica natio; tanti

viri fastigium concidisse dolent ceterae gentes; coram augustae mortis tropaeo studia partium conticeunt. Historia testis et iudex de ipso paginam sculpit, quam nulla temporum fuga delebit. Verum cui solacio ista omnia esse putemus, si defletum super tumulum alma se non erigat Spes, iubeatque confidere, exornatum laudibus principem a terrestri hoc domicilio ad piorum sedes migrasse, fruiturum gloria sempiterna? Arduum profecto regendi cuneta onus, et regia virtus eo pluribus est obiecta periculis, quo regni fortuna benignior. Quamobrem haud alienum ab humana infirmitate putandum est, sive in usu potestatis sive in quotidiano vitae consortio, in multis offendere atque idem ab officii religione discedere. Si quae ab eo,



Leopoldus II. Belgarum rex.

cuius desiderio tenemur, admissa sint, eluat emundetque tot exorata vocibus divina clementia, praesertim illorum, qui adeptam filiorum Dei libertatem ei debent acceptam referre, quo auspice ac duce naneti sunt salutis aeternae ministros. Ad sedes lucis et pacis adiutum properet piaculare sacrum, quo summus Ecclesiae Sacerdos voluit supremum suae caritatis officium dilecto Filio exhibere. Est interea eur nobilissima Belgarum gens tristitiae modum imponat, revochetque animum ad illius Viri cogitationem, qui in regnum succedens, non tam hereditate acceptam, quam sua partam virtute causam habet celebritatis et nominis, in quo propterea salus civitatis et gloria maxime nititur. Supremum igitur vale defuneto Regi dicendum ne sit a voto sciunctum, quod pro Successoris incolumente ac fortuna concipi mus, quem et bonis omnibus carum, et, quo pollet ingenio, ad optima quaeque nitentem suavissima Christi religio informet roboretque; illa, inquam, religio, cui recenti serto redimitae cervices perinde sunt sacrae ac regales exuviae corollis aspersae funereis.



## De sacra Theologia

Neminem latet sacram Theologiam... principem sibi locum vindicare.

LEO XIII.

Impossible foret, ea omnia colligere quae de sacra Theologia, circa sacram Theologiam, pro sacra Theologia et etiam contra sacram Theologiam, nedum a Theologis, sed etiam a laicis, qui « Theologi » facti sunt, ultimis temporibus, edita in lucem fuerunt.

Factum hoc ostendit, quam verissime Leo XIII scripsit (1) « In magna et multiplice disciplinarum copia, quae mentis veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere ut ei inserviant ac ancillarum more famulentur ».

Spe confisi, ad sacrae Theologiae investigationem operam ferendi, in *Voce Urbis* circa sacrae Theologiae naturam, circa « scientificum », ut vulgo dicitur, eiusdem characterem, neenon illius obiectum, quaedam scribere placet.

\* \* \*

Circa sacrae Theologiae naturam veteres et moderni Theologi audiendi sunt. S. Thomas (2) affirmit, Theologiam pertinere ad « sacram doctrinam »; Theologia quae ad sacram doctrinam pertinet; per sacram vero doctrinam intelligit vel ipsas veritates revelatas, vel fontes veritatum revelatarum uti est Scriptura, vel expositionem quamdam earumdem veritatum, scientifica methodo factam. Ita in priori significatione Angelicus scribit (3): « Quae sunt altiora hominis cognitione... sunt a Deo revelata... Et in his sacra doctrina consistit... Quia igitur

(1) Litt. apost. « In Magna » 10 Dec. 1889.

(2) Sum. 1. p. 1, 1.

(3) 1. p. 1, 1. ad p. 3. in corpore et ad 2.

sacra doctrina considerat aliqua secundum quod sunt divinitus *revelata*... omnia quaecumque sunt divinitus *revelabilia* comprehenduntur sub saera doctrina... Ea quae in diversis scientiis philosophicis tractantur potest saera doctrina una existens considerare sub una ratione, in quantum scilicet sunt divinitus *revelabilia* ».

In secunda significatione Angelicus ait (1): « Necesarium fuit... sacram doctrinam per revelationem haberi... Singulalia traduntur in sacra doctrina non quia de eis principaliter tractetur, sed introducuntur tum in exemplum vitae... tum ad declarandum auctoritatem virorum per quos ad nos revelatio divina processit, super quam fundatur saera *Scriptura* seu doctrina... Per auctoritates *sacrae doctrinae* disputamus contra haereticos... Convenienter in sacra doctrina traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium ».

In tertia significatione Angelicus (2) ait: « Sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae... Sacra doctrina propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa... Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia... per studium habetur licet eius principia ex revelatione habentur ».

Iuxta igitur Angelici mentem, Theologia sacra est « scientia de revelatis » vel « scientia de fontibus revelationis » vel « expositio quaedam scientifica veritatum revelatarum ».

Dionysius Petavius (1583-1652) S. I., quum aggressus fuissest « universam Theologiam mandare in libris » et quidem « elegantiores et uberiores » definit Theologiam « Scientiam quae in Dei et eorum, quae ad Deum quoquo modo pertinent contemplatione consistit ». (3)

Carolus Ren. Billuart (1685-1753) O. P. circa Theologiae naturam scribit (4): « Theologia supernaturalis... describi potest: Doctrina rerum divinarum, ex principiis fidei immediate revelatis conclusiones deducens ».

Sed veniamus ad recentiores. P. Ianssens ait (5) « Theologia est doctrina sacra, ex revelatione hausta, qualem in Ecclesia catholica docti viri scientifice excollerunt atque iugiter excolunt ».

Iuxta P. Ermoni (6) « Theologia bene intellecta, non est nisi conatus quidam explicandi veritates dogmaticas, easdemque ad systemata reducendi ».

Iuxta P. Prat (7) Theologia sensu generali accepta est « scientia religionis revelatae. »

\* \* \*

Post hanc definitionem sacrae Theologiae multiplicatatem, quisque videt, quam difficile sit novam Theologiae definitionem tradere. Dicamus igitur: « Theologia est cognitio firma ac stabilis de aliquibus virtualiter revelatis, sub divinae revelationis lumine, ope rationis, ex articulis fidei habita, non excluso neque scientiae historicae neque criticae auxilio, referens nobis ipsam Divinitatem. »

Dicitur a) *Cognitio* hoc est, interior manifestatio

(1) 1. p. 1, a. 1, a. 2. ad 2, a. 8. a. 9.

(2) 1. p. 1. 2. a. 6. ad 3.

(3) *Dogmata Theol.* vol. I, a. 1.

(4) *Cursus Theol.* vol. 1, a. 1.

(5) *Praelationes de Deo uno I*, de sac. Theol. definitione.

(6) *Revue du Clergé français* 15 Fev. 1904.

(7) *La Théologie de S. Paul* Introd. I.

mentis: *firma et stabilis* quia stabiles et firmae sunt praemissae ex quibus theologia procedit, atque firma et stabilis est methodus qua procedit. Praemissae siquidem Theologiae, articuli fidei sunt; methodus vero est conformis regulis rationis, scientiae historicae neenon criticae. b) *De aliquibus virtualiter revelatis.* *De aliquibus*, idest, de praecipuis non de omnibus, quia Theologia agit de hisce quatuor praecipue, de Unitate, et Trinitate Dei, de Dei efficientia, neenon de Reditu rerum creatarum in Deum. *De virtualiter revelatis.* Aliqua veritas duplice revelata dicitur, hoc est, *immediate et formaliter, virtualiter et mediate*. Est primo modo revelata, si clare et expresse enuntiata fuerit in sacra Scriptura et absque ullo ratiocinio innotescit, est secundo modo revelata, si in veritate iam clare revelata continetur, et ex hac, ratiocinii opere deducitur. Theologia agit de secundis veritatibus; ex eo quod ex. g. Christus est homo (revelatum immediate) deducit « operationes humanas esse in Christo Iesu ». c) *Sub lumine divinae revelationis*, quia sacra doctrina, ut verbis Angelici utamur, (1) « auctoritatibus canonicae Scripturae utitur proprie et ex necessitate argumentando... Inni-  
titur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factae qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus factae ». d) *Ope ratiocinii*; Theologiae enim necessaria est « et auctoritas et ratio. Sed ita tamen, ut auctoritas primas in Theologia partes obtineat, ratio vero habeat postremas ». (2) e) *Non excluso auxilio scientiae historiae*, siquidem Theologia, si vere scientia est, explicare debet causas, propter quas aliquod Ecclesiae dogma, momento determinato temporis maiorem lucem, evidentiam distinctionemque accepit, et evolutionem aliquam accidentalem habuit; quinam fuerint illius fautores et defensores, quinam adversarii eius existentiam negantes. Haec autem omnia, nonnisi per historiam et ab historia praestari possunt. f) *Non excluso auxilio scientiae criticae*. Theologia enim non quoslibet Scripturae sacrae textus, vel quae cumque Sanctorum Patrum testimonia afferre debet in veritatibus catholicis probandis, sed textus et testimonia selecta, comparata, examini subiecta, ac suo loco posita, quae omnia praestare, proprium scientiae criticae est. Si aliter faciat, Theologia merito vocatur a M. Cano (3) « misera », quia « detracta Scripturae sacrae auctoritate, syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur ». g) *Ex articulis fidei*. Non convenient Theologi, circa articuli fidei notionem, ita ut articulus fidei definiatur a nonnullis « veritas principalis in qua aliae veritates fundantur » vel « veritas in Symbolo Apostolorum contenta » vel « veritas revelata et ab Ecclesia definita ». (4) Iuxta S. Thomam (5) ad articulum fidei habendum tres conditiones necessariae sunt. Prima conditio est; ut sit veritas coaptationem habens cum ceteris fidei veritatibus; secunda vero, ut sit veritas speciali modo non visa, obiectum siquidem fidei, aliquid non visum est; tertia denique est, ut nos directe ordinet in vitam aeternam. Articulus igitur fidei

(1) 1 p. 1. 9 ad 2.

(2) M. CANUS *De Loc. Theol.* l. 1. c. 2.

(3) L. c. 1. 8. 1.

(4) Cf. VACANT, *Dictionnaire de Théologie* 2023 article de foi.(5) 2. 2<sup>ae</sup> p. 1. a. 6 et 8.

iuxta praedicta definiri potest: « Veritas revelata habens coaptationem cum ceteris fidei veritatibus, sed ab ipsis satis distineta, ac speciali modo non visa, nosque in vitam aeternam directe ordinans. » Ex hisce fidei articulis Theologia procedit atque ab eis conclusiones suas deducit et statuit. h) *Referens nobis ipsam Divinitatem*. Theologia enim est sermo de Deo, est speculum Divinitatis, in quo speculo Deus repraesentatur sub quadruplici adspectu: 1<sup>o</sup> prouti est « Unus et Trinus in se »; 2<sup>o</sup> prouti est « Producens creaturas extra se »; 3<sup>o</sup> prouti est « Reducens creaturas a se productas ad se »; 4<sup>o</sup> prouti est « Perficiens creaturas a se productas atque ad se reductas ». Hinc exurgunt Tractatus theologici de « Deo uno et trino »; de « Deo creatore »; de « Deo Salvatore »; de « Deo consummante » sive Tractatus eschatologicus.(1)

\* \* \*

Circa quoque primam Theologiae divisionem, quae est in Theologiam « *Scholasticam et Positivam* » aliter sentiunt veteres, aliter moderni.

Gregorius de Valentia (+ 1603) S. I. haec scribit: « Dividitur Theologia in positivam et scholasticam... Positiva dicitur, quatenus occupatur potissimum in explicando ipso Scripturae sacrae sensu, ad eumque elicendum tum aliis adminiculis, tum praecipue auctoritate S. S. Patrum utitur. Quo ipso quasi principia firma aliarum conclusionum theologiarum ponit et ideo positiva videtur dicta, quia scilicet ponit et statuit ex Scriptura principia Theologiae firma. Scholastica vero Theologia vocatur, prout explicat et confirmat ac defendit uberior et accuratius fidei sententiam, subtiliter iis etiam rebus animadversis, quae vel ex fide consequentes sunt vel fidei repugnant et quorum perspicentia velut clarissimum quoddam lumen iuvat, ut tenebrae, quas haeretici suis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere, facilime despici atque dispelli possint ». (2) Iuxta Ioan. B. Gonet (+ 1681) O. P. Theologia Scholastica illa est « quae artificiosa methodo, et syllogistice rerum divinarum notitiam tradit ». Positiva vero « quae fusori stylo, et modo oratorio sacras litteras, et mysteria fidei exponit ». (3)

Theologia, inquit Billuart (l. c.) ex parte modi, dividitur in positivam et scholasticam. Positiva est, quae versatur circa s. Scripturas, traditiones, concilia, canones, SS. Pontificum decreta, SS. Patrum opera, antiquitatis facta historica et praxim, ea expendendo, penetrando, vera a falsis discernendo, sensum legitimum explicando, mysteria fidei et veritates revelatas ex eis eruendo, et ex veritatibus revelatis alias deducendo; et haec omnia stylo fusori, elegantiori et quasi oratorio, atque regulis dialectices minus accommodato. Dicitur positiva, tum quia principia fidei ponit et supponit tanquam theses et positiones, non probat; tum quia s. Scripturae, traditiones, concilia, canones etc., ex quibus procedit, sunt iuris positivi. Scholastica eadem omnino praestat, sed diversa methodo, nempe dicendi genere magis conciso, subtiliori et accuratiori, iuxta regulas dialectices, terminos exponendo, statum quaestionis ape-

(1) Cf. FER, *Theol. Dog.* V. 1, n. 2.(2) *Summa* 1. disp. 1, q. 1. 1.(3) *Clypeus Theol.* Tom. v. 1, de nat. Theol. §. 1.

riendo, definiendo, dividendo, syllogizando obiecta solvendo; sicque pariter posset dici positiva, cum et principia fidei supponat, non probet, et ex S. Scripturis, traditionibus, conciliis, etc., pariter procedat; sed dicta est scholastica, eo quod eius methodus usurpetur in scholis et academias ».

Theologia, scribit P. Prat, (1) dicitur *Positiva* quoties inventarium dogmatis (*faire l'inventaire du dogme*) facit simulque eiusdem dogmatis historicam evolutionem tradit. Dicitur vero *Scholastica* si coordinatis revelationis elementis, conclusiones rationales statuat ad vastum atque harmonicum aedificium construendum, in quo partes omnes ad invicem colligatae sunt.

Pars Theologiae scholastica et pars positiva, ait Bellamy, (2) pariter necessariae sunt pro Theologia, si naturam vere scientificam illius vindicare velimus. Christianismus complete sumptus 1<sup>o</sup> est factum quoddam magnum historiae, supponens documentorum studium atque eorumdem documentorum perfectam interpretationem. Theologia Positiva hoc praestat. 2<sup>o</sup> Christianismus est rursus quaedam doctrina, cuius examen menti humanae necessarium est tum ad bases illius verificantas, tum ad eiusdem valorem discutiendum, tum ad res in ea contentas ad systema aliquod reducendas, tum ad eius elementa coordinanda. Theologia Scholastica, munus hoc secundum praestat.

Theologia positiva iuxta Tixeront (3) est scientia statuens dogmatis christiani veritatem, per S. Scripturae necnon traditionis idonea testimonia, ita tamen ut non sequatur dogmatis evolutionem diversis temporibus habitam, atque demonstratio, potiorem locum quam historia in ea habeat. Theologia vero Scholastica iuxta P. De Groot (4) probationem positivam ac philosophicam et systematicam totius doctrinae christiana dispositionem atque tractationem coniungit.

Nobis videtur conceptum Theologiae Positiae et Scholasticæ in hisce consistere. *Theologia positiva* dogmatum veritatumque catholicarum existentiam probat, per S. Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum atque Ecclesiae testimonia. *Theologia Scholastica* vero, suppositis articulis fidei, tamquam probatis ab exegeta per S. Scripturam, a Patrologiae studio per P. P. testimonia, a colligente Concilia per Conciliorum auctoritatem; ope philosophiae præsertim Aristotelis, dogmata fidei aliasque veritates catholicas ratiocinando confirmat, coordinat, exponit, illustrat, defendit; novasque ex eis deducit veritates.

S. Thomas (*Quodl. IV a. 18*) satis indicare videtur Theologiae scholasticae naturam per verba: « Quaedam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit: et tune oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur ». Satis indicare videtur naturam Theologiae

(1) *La Théologie de S. Paul Int. I.* Cf. TURMEL - *Histoire de la Théol. positive, Préface*. Pro illo Theologia positiva est « Cette branche de la science sacrée qui assigne à chacun des dogmes chrétiens ses bases tant scripturaires que traditionnelles ».

(2) *La Théol. cath. au XIX<sup>e</sup> siècle chap. VIII.*

(3) *Histoire des dogmes - La Théol. Anténicéenne*. Intr. p. 4.

(4) *Summa Apol. q. xxi a. 1.* - Pro aliquibus Scholastica est « Fides quaerens intellectum ».

positivae per verba: « Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus disputatur ». Aliis verbis, iuxta S. Thomam, *Theologia Scholastica* ostendit *quomodo* sint verae veritates fidei; *theologia* vero *Positiva* *quod sunt verae*.

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI, O. P.



## HYMNI DUO

IN HONOREM

### S. Sophiae Vid. Martyris<sup>(1)</sup>

I.

*Martyrem Christi Sophiam canamus,  
quae, trium mater pia filiarum,  
prole cum terna superavit astum  
vimque tyranni.*

*Blandiens iudex: « Quia nomen », inquit,  
« est tibi clarum Sophiae, sophorum  
vive nunc ritu, sapiensque legem  
desere Christi.*

*« Thura si nostrae dederis Minervae,  
vita ridebit tibi laeta; quod si  
spreveris iussum, moriere crudis  
caesa flagellis. »*

*Fortis at martyr: « Neque me flagella,  
nec movent enses; mihi grande lucrum  
dura pro Christo tolerare; summum,  
fundere vitam. »*

(1) S. Sophia, matrona Romana, martyrium passa est anno a rep. sal. cxxxviii. Eius testum recolitur die xxx m. Septembr. - Die i mensis Aug., celebratur festum Sanctorum Fidei, Spei et Caritatis, filiarum S. Sophiae, quae et ipsae, hortante matre, martyrium fortiter subierunt. Breviarium Argentoratense, anno MCDLXXVIII editum, tres istas commemorat sorores sub die x Maii, quo die earum Reliquiae in Alsatiam translatae fuerunt anno DCCLXXVII. Eas nempe Adrianus Papa tradiderat Remigio episcopo Argentoratensi, quas hic dein monasterio, nuper a se fundato in pago Eschau, dono dedit, in ecclesia abbatiali servandas.

*O feri victrix mulier tyranni!  
imperata nobis animum virilem,  
nulla quem possint ab amore Christi  
vellere bella.*

*Laus sit excelsae Triadi, feracem  
quae vel imbellem dedit esse sexum  
martyrum palmis, rutilare visis  
omne per aevum.*

## II.

*Dignis quis Sophiam laudibus efferat,  
quae, fecunda parens, martyr et inclyta,  
trinas promeruit gignere filias,  
trinas edere martyres.*

*Audit prima Fides: « O mihi luceat  
haec, inter tenebras, desuper emicans  
Fax, vitamque meam dirigat exsulem  
donec Patria fulserit! »*

*Proles altera Spes: « Detque per arduam  
ad sedes Superum tendere semitam;  
constantib[us] tribuat me pede currere  
ac deflectere nescio ».*

*Propago Sophiae tertia Caritas:  
« Quae sit cura mei maxima pectoris;  
Christo surgat ibi fida, perennibus  
ardens ignibus, arula ».*

*Une et trine Deus, splendida martyrum  
merces ipse, tuā luce nitentium,  
Urbs te cælicolūm laudet, et aetheri  
tellus assonet infima.*

FRANC. XAV. REUSS.

*Ego ne immortalitatem quidem accipiendam putarem  
contra patriam; et eos qui pro republica vitam reddiderunt,  
nunquam mortem potius, quam immortalitatem accepturos  
putavi.*

CICERO.

*Liberitate modice utendum: temperata ea salubris et sin-  
gulis et civitatibus est; nimia, aliis gravis et ipsis qui ha-  
beant effraenata et praeceps.*

LIV., XXXIV, 49.

## COMMENTATIONES PHILOLOGICAE

## De Luciano.

Venio nunc ad eum scriptorem, qui mihi, ex quo eum primo cognovi, semper in deliciis fuit, Lucianum. Cuius notitiam quod non maturius contraxerim — nam in academia quum versarer, ne nomen quidem eius inaudivi — cum mihi, tum maxime doctoribus meis succenseo. Nam est hic scriptor, ut dicam quod sentio, omnium, quotquot Graeca Romanaque antiquitas scriptores ad nostram memoriam transmisit, unus lectu iucundissimus (loquor autem de genuinis Luciani scriptis, non de suppositiciis, quae multa sunt) et is, qui ad recentis aevi sensus proxime se applicet, ita quidem, ut lectori saepe sucurrat exclamare: « De nobis fabula narratur ».

Nec iniuria tantum laudis Luciano impertire nobis videmur. Nam sive argumentorum varietatem spectas, est ea sane multiplex et per omnes fere eos scientiae campos divagata, in quibus detineri solent hominum liberalium studia; sive rerum tractationem consideras, summam elegantiam per omnia diffusam, lepore et sale vere Attico tamquam condimento perspersam deprehendes; sive denique dictionis formam et elocutionem intueberis, nisi plumbeus sis, Atticismum mirabere, qualis optimis temporibus fuerat, redivivum nec tam sola imitatione assimilatum, quam ingenii cognatione de radicibus suis denuo creatum. Haec omnia, quae dixi, tam suaviter legentis animum demulcent, ut inter eruditos homines vix inveniri putem, quin haud cunctanter Erasmi de Luciano iudicio subscribat, quo non facile illustrius de ullo scriptore encomium cogitari potest.

Quod autem supra dicebam Luciani dictionem esse venere Attica ornatam: ne quis me ignorare putet esse nonnulla, in quibus Lucianus a prisco Atticismo recesserit. Ea autem tam pauca tamque minuta sunt, ut vix in numerum venire possint, certe legentem nihil morentur, qui, si linguae Graecae satis peritus sit, sua sponte et tacitus in eiusmodi locis id, quod norma Atticismi requirit, substituet. Quem enim offendet particularum quarundam a priore consuetudine discepans usus, aut optativus in finali sententia pro coniunctivo positus, aut forma aliqua nominis aut verbi superioribus inusitata, aut denique novicium aliquod vocabulum, cuius apud antiquiores nullum, fortasse casu, exstet exemplum? Pusilli sunt isti naevi, vix memoratu digni et qui minime officere queant laudi Luciani, quo nemo inde ab Alexandrino aevo elegantius indolem Atticam repraesentasse reperitur praeter paucissima illa, quae a vitio sui saeculi traxit. Evidem quem hoc nomine cum Luciano comparem, fateor me habere neminem. Nihil ad eum Polybius, vulgari Graecitate usus, nihil vel Plutarchus, in quo etsi Attice scribendi voluntas et conatus manifestus est, tamen ita operose saepe et languide procedit oratio, non raro illa quidem etiam Latinis structuris interpolata, ut longe absit ab Attica elegantia. Neque vero quisquam Arrianum aut Dionem Chrysostomum iure comparaverit cum gratia Xenophontea, nec Cassius Dio, quem Attica exemplaria,

Thueydidem maxime, diligenter versasse apertum est, propter nescio quam morositatem et inaequalitatem adeoque obscuritatem orationis multum commendationis habet. Unicus, quem, si vellet, proxime ad Atticos accessurum fuisse arbitror, est Dionysius Halicarnassensis. Qui cum accuratissima veterum Atticorum, imprimis oratorum, historicorum, philosophorum scientia instructus fuerit et acerrima ac saepe sagacissima de illis scriptoribus iudicia fecerit, sane mirari subit non cassis eum sibi a quibusdam aevi sui mendis sordibusque, quas tamen evitare tam perspicaci critico facile fuisset. Sed iam in viam redeo.

Quum igitur Luciani scripta et rerum iucunditate et dictionis venustate mirifice se in animos lectorum insinuent, tamen a scholis nostris (loquor autem de disciplina Austrica) exsulare ea videmus et vel philologorum plerisque aut intacta esse aut non pro merito adamata. Cuius rei quae causa sit praeter minime probandam inertiam, non intelligo. Nam mihi quidem persuasum est, si quis primam cum Luciano notitiam iniens vel paucas paginas, verbi causa Timonis aut Charonis aut Icaromenippi perlegerit, eum «amplius» atque «amplius» clamaturum nec prius quieturum, quam praestantissimos saltem suavissimi satirici libros devoraverit. Tirones certe longe alacriori studio in Luciani lectione retinerentur quam in tractando aliquo horrido Platonis dialogo aut in aliqua Demosthenis declamatione, cuius quae dotes et virtutes sint dubito an vel ex diligentissima magistri explicatione percipient. Hinc illud in permultis Graecarum litterarum taedium, hinc adversarii nostri ad haec studia impugnanda arma deponunt.

Sed accedit, quod etiam maioris momenti iudicandum est. Nam qui Platonis aut Demosthenis aetate inferior sit Graecus scriptor, nullus in scholas nostras receptus est. Atqui quam multos excellentis ingenii scriptores posteriora tempora tulerint, quid attinet dicere? Quorum unum saltem accuratius cognovisse utique operae pretium fuerit, ut ne totum illud quadringentorum annorum spatium incognitum adolescentibus et ex omni parte paeclsum maneat. Cui consilio quis potest accommodator esse quam Lucianus? Qui in ipsis confiniis exspirantis antiquitatis et exorientis Christiani aevi collocatus, pristinae Graeciae omnes tamquam radios in scriptis suis complectitur simulque antiquitatis senio confectae, labentis et ad interitum vergentis imaginem expressam ob oculos ponit.

Quis enim luculentioribus exemplis quam Lucianus religionis, artium doctrinarumque et totius vitae civili in deterius conversionem depinxit et illustravit? Quanto ille lepore non sine acerbitate aniles de veteribus deis fabulas, philosophorum illius aevi ineptias et mores abiectos, oratorum et historicorum perversitates, vitae domesticae, qua pauperum qua divitium, ridiculam actionem exagitavit! Quanta severitate et indignatione cuivis nequitiae et simulationi larvam deripuit et vitia, ubicunque obvia essent, aequalium irriguis et despiciatui obiecit!

Hoc loco non alienum videtur Lucianum a quadam criminazione vindicare, ab illa scilicet opinione ab antiquis temporibus propagata et nostris quoque diebus

hic illie reoeta, fuisse Lucianum hostem nominis Christiani. Quam opinionem diligentior rei pervestigatio ostendit nullo solido fundamento nisi, sed potius pro fabula, ne dicam calunia, esse habendam. Est enim illa orta ex paucis quibusdam perperam intellectis locis libellorum, quorum tituli sunt *Peregrinus Proteus* et *Philopseudes*. Sed quum per spati angustias et huius nostrae scriptoribus consilium nobis non licet totam hanc quaestionem enodare, his, qui rem accurate cognoscere cupiunt, enixe commendamus, ut Sommerbrodtii proeum, quod is Luciani editioni sua (1) praemisit, attente perlegere ne dedignantur, unde facile sibi persuadebunt nullam esse causam, cur Christiani nomen Luciani abominemur.

Ut rem brevi praecidam: Doctrina Christiana Luciano paene tota ignota est aut certe admodum perfunctorie cognita. Nusquam apud eum ullum de divino nostrae religionis conditore contumeliose dictum reperitur, Christianos autem ipsos commiseratur potius quam eis maledicit omninoque agnoscendum est Lucianum multo mitius quam alios scriptores anticos de Christianis iudicium fecisse, mitius videlicet quam Plinium minorem, qui eis «pervicaciam et inflexibilem obstinationem» obiectat, mitius quam Tacitum, qui eorum religionem «exitiablem superstitionem» nominat. Quos tamen scriptores nemini adhuc in mentem venit ut e scholis nostris expellendos censeret. Tantum igitur abest, ut Lucianus inimicus Christiano nomini fuerit, ut de primordiis Christianismi melius, quam plerique credunt, meritus sit eo, quod veteres commentarios deos de sede Olympica in omne aevum deturbavit eoque, quamquam incepsus, nostrae religioni viam munivit.

Sub finem commentationis nostrae non reticendum putamus non posse Lucianum cum vero fructu legi et penitus intelligi nisi ab eis, qui in priscae Graeciae scriptoribus bene multumque versati sint. Nam innumerabiles illorum loci a Luciano respiciuntur aut citantur partim addito partim suppresso auctoris nomine, ut plurimae eiusmodi allusiones eum, qui quo eae referantur ignoret, necessario effugiant.

Sed iam tempus est, ut aliquando peroremus et hanc disputationem concludamus. Hunc igitur, inquam, tallem scriptorem agite, invenes, legit studiose. Credite mihi quovis pignore contendenti nunquam fore, ut vos opera in Luciani lectione consumptae poeniteat. Ego quidem, si mihi in exsilium ire iusso optio daretur, ut unum tantummodo scriptorem pro meo arbitrio delectum mecum auferrem, quo solitudinem consolarer, nihil cunctabundus Lucianum arriperem, qui mihi instar omnium librorum esset et unicus totam antiquitatem, tum Graecam tum Romanam, quantum quidem pro rerum statu fieri posset, compensaret.

Goritiae.

A. B.

(1) BEROLINI, apud Weidmannos, 1888.

*In proximum numerum:*

### AD GOLGOTAM

Sacra actio dramatica J. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta.

## VARIA

## De vetustate seminis frumenti.

Quum abhinc annos unum ferme et quinquaginta ad Cairum aperiretur antiquissimum monumentum, seu sarcophagus, condita ibi cum cadavere exsiccatu reperta est certa quaedam copia spicarum frumenti. Novem huiusce frumenti grana terrae mandavit doctor rei agrariae tradendae. Haec autem grana post trium millium annorum spatium exaruerant adeo deformataque erant, vix ut eorum agnosceretur natura nec posse fieri videretur, ut germen essent editura. Atqui inter cetera, quae in rerum natura contingunt, illud fuit admiratione dignum, quod, teste uno e sodalibus arvalibus Compiendiensibus, caudex crastitudine par cannae provenit; frondes tria latae erant centimetra; spicae indiscretae similitudinis, quae vicenae in singulis combibus numerabantur, grana habebant lectissima, quatuor in ordines compacta; non pauca itaque granorum, quae sata fuerant, multiplicata bis millies usque esse censebantur. Specimen huiusmodi frumenti, quod fortasse pertinuit ad Sesostris aetatem, certe Cleopatrae, sodalibus arvalibus, quos supra diximus, exhibuit fuit simul et cespites duo metra alti.

T. C.



## COLLOQUIA LATINA

Deliberatio de lusu.<sup>(1)</sup>

DONATUS. — Facta est itaque hodie nobis ludendi copia, Romulde?

ROMULDUS. — Id tu nosti scilicet.

D. — Novi enimvero; ab ipso audivi magistro.

R. — Agedum, quolibet te provoco lusus genere.

D. — Iaciamus funda lapides ad scopum.

R. — Plus huic lusui discriminis quam voluptatis.

D. — Quo nos igitur lusu oblectabimus?

R. — Mihi quidem sphaeris lubet ludere per annum ferreum.

D. — Hoc lusu nimium quantum me superas. Scio quam valido sis brachio; undecumque globos feris, ut metam transeant, undecumque recta mittis per annum.

R. — Velim esse vera quae de me praedicas.

D. — Globis missilibus nos exerceamus potius.

R. — Neque viribus, neque arte tibi concessero: ita torquebo globos, Donate, ut si tormentum meum foret brachium.

D. — Periclitabimus tamen.

THEODORUS. — Trahit sua quemque voluptas, amici. Mihi placet venatio a meridie.

R. — Placet et mihi, rerum o dulcissime, qui ac-

ceptus maxime apud nos venis. Sed ubi canes? ubi venabula? ubi casses?

T. — Valeant apri et vulpes, nos insidiabimus cuniculis.

D. — At ego ranas captabo.

T. — Humile id venationis genus.

D. — Sed tamen iucundum.

T. — Quo ranas astu decipis?

D. — Aliis atque aliis modis: interdum, ex linea pendula de vimine aut arundine suspendo frustulum panni rubri; ipsum in aquas dimitto: avide id glutiunt ranae et adhaerescunt: illico ex aquis extraho.

T. — O lepidum venatorem!

D. — Interdum aliter ranis imposui.

T. — Quomodo: reti?

D. — Non, sed arcu.

T. — Novum piscandi genus.

D. — Ah! non iniucundum! Habeo ballistam modicam, sed longo manubrio; nervo affixum est telum ferrea cuspide, praeacuta et recurva. Manu teneo funem, item nervo annexum: tum autem sicubi ranam undis eminentem aspicio, iaculum admoveo quam possum proxime: nervum adduco, mox impetu remitto in praedam, ut cuspis per ventrem emineat aut femora.

T. — Evidem malo insidiari piscibus. Est mihi hamus elegans, arundo et linea piscatoria ex setis equinis torta.

D. — Sed unde parabis escam?

T. — Lumbricorum ubique magna est copia.

D. — Est, si sibi velint prorepere e terra.

T. — At ego mox efficiam ut sexcenti prosilient.

D. — Quo pacto?

T. — Talpam simulabo. Hoc ligone terram tremefaciam, quasi si talpa lumbricis infestissima humum moliretur: extemplo exibunt foras... Hem! observa paullisper... Vides emergentes.

D. — Rem prodigiosam video.

T. — Sed quid si potius certemus nucibus?

D. — Nuces admodum pueris relinquamus: nos iam sumus grandiusculi, et quibus libitum est ludere nucibus, iisdem non indecorum ludere par impar, equitare in arundine longa. Num et hic tibi ludus, Theodore, allubescit?

T. — Nequaquam. At vos praescribite lusus genus: sequar quocumque vocaveritis.

R. — De lusu a meridie conveniet. Hora prima ad urbis moenia conveniamus.

T. — Stricte adero.

D. — Et me non expectabitis. Valete interim in horam primam.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE S. I. Antwerpiae ed. ap. MDCLVII. — Passim retractavit I. F.

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

## SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

## Ex Congregatione Consistoriali.

*Decretum servandum ab omnibus locorum Ordinariis, qui S. Congregationi de Propaganda Fide subiecti non sunt.*

A remotissima Ecclesiae aetate repetenda lex et consuetudo est, qua singuli Episcopi, statis temporibus, Urbem petant, ut sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina venerentur, suaequae statum dioecesis exponant Apostoliceae Sedi: cuius rei illustria monumenta veteres Ecclesiae annales suppeditant. Eiusmodi autem facti ratio in ipsa Ecclesiae natura et constitutione nittitur, atque a sacro Petri primatu necessario fluit, cui christiani gregis universi commissa custodia est, per divina illa praecipientis Domini verba: *pasce agnos, pasce oves.* In utroque autem munere, quum visitationis sacrorum Liminum, tum relationis de statu dioecesis, debitae Petro eiusque successori submissionis et reverentiae continetur officium. Verum, quamvis unum et alterum huius legis caput tot antea saeculis viguerit, serius tamen hac de re certior inventa est disciplina. Est enim Xysto V tribuendum, quod is, Constitutione edita die 20 mensis Decembris 1585, cui initium *Romanus Pontifex*, congrua ratione determinaverit, quibus temporibus et qua lege visitanda sacra Limina essent et redienda ratio Summo Pontifici de pastoralis officii implemendo a Patriarchis, Primitibus, Archiepiscopis et Episcopis: quibus etiam prospicerunt encyclica litterae sacrae Congregationis Concilii, datae die 16 mensis Novembris 1673. Abbatibus autem *nullius dioecesis* cautum est per Constitutionem Benedicti XIV, datam die 23 mensis Novembris 1740, quae incipit *Quod sancta.*

Haec obtinuit ad nostros usque dies disciplina. Verum, effectis hodie multo facilioribus ac tutoribus dioeceses inter et Sanctam Sedem commerciis, iam praesentis aevi conditionibus haud respondere visa sunt ea, quae in memoratis Constitutionibus decreta fuerunt circa visitationes ad sacra Limina ac dioecesum relationes ad Apostolicam Sedem. Re mature agitata in coetu Eminentissimorum Virorum Pontificio Iuri in unum corpus redigendum praepositorum, conclusa ab iisdem, SS. Mi. D. N. Pii Papae X iussu, ad S. Congregationem Consistoriale delata sunt, eidemque commissum iudicium, utrum et quomodo eius coetus consilia publici iuris fieri atque in usum deduci possent, etiam ante promulgandum ipsum Codicem. Nunc vero, omnibus diligenter perpensis, iisque inhaerens quae a memorato coetu PP. Cardinalium deliberata sunt, S. Congregatio Consistorialis, de mandato SS. Mi. Domini nostri, Eoque adprobante, die XXXI mensis Decembris MCMIX decrevit quae sequuntur:

CAN. I. — Abrogata lege temporum, quibus hactenus visitanda fuerunt sacra Limina et relatio Sanctae Sedi exhibenda de statu dioecesis, omnes locorum Ordinarii, quibus dioecesani regiminis onus incumbit, obligatione tenentur referendi singulis quinquenniis ad Summum Pontificem de statu sibi commissae dioecesis

ad normam canonum infra positorum et novi *Ordinis* praesenti decreto adiecti.

CAN. II. — § 1. Quinquennia sunt fixa et communia, incipientque a die 1 mensis Ianuarii anno 1911.

§ 2. In primo quinquennii anno relationem exhibebunt Ordinarii Italiae, et insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, aliarumque minorum adacentium.

§ 3. In altero, Ordinarii Hispaniae, Lusitaniae, Galiae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus.

§ 4. In tertio, Ordinarii imperii Austro-Ungarici, Germanici et reliquae Europae cum insulis adiacentibus.

§ 5. In quarto, Ordinarii totius Americae et insularum adiacentium.

§ 6. In quinto, Ordinarii Africæ, Asiae, Australiæ, et insularum his orbis partibus adiacentium.

§ 7. Et ita per vices continuas singulis, quae sequuntur, quinquenniis.

CAN. III. — § 1. In prima cuiusque Ordinarii relatione ad singula quaesita, quae in adiecto *Ordine* continentur, distinete responderi debet.

§ 2. In relationibus quae sequentur sufficit ut Ordinarii ad quaesita in singulis articulis contenta dicant, utrum novi aliquid habeatur, nec ne. Adiicient vero quomodo et quo fructu ad effectum perduxerint monita et mandata, quae S. Congregatio in sua responsive ad relationem significaverit.

§ 3. Relatio latina lingua est conficienda.

§ 4. Subsignanda autem erit, praeterquam ab Ordinario, ab uno vel altero ex *covisitatoribus*, qui de statu dioecesis magis concii sunt et de ea testificari possunt. Ipsi vero circa ea quae ex relatione noverint, si publici iuris non sunt, gravi secreti lege adstringuntur.

CAN. IV. — § 1. Omnibus et singulis pariter praecipitur ut, quo anno debent relationem exhibere, beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulera veneraturi ad Urbem accendant, et Romano Pontifici se sistant.

§ 2. Sed Ordinariis, qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, id est singulis decenniis, Urbem petant.

§ 3. Huic obligationi Ordinarius, vel ipse per se, vel per Coadiutorem aut Auxiliarem Episcopum, si quem habeat, satisfaciet; vel, iustis de causis a S. Sede probandis, per idoneum sacerdotem, qui in eadem dioecesi stabilem commemorationem teneat.

CAN. V. — Si annus exhibendae relationi adsignatus, ex toto vel ex parte, inciderit in primum biennium ab inito dioecesis regimine, fas erit Ordinario ab exhibenda relatione, et a visitatione sacrorum Liminum peragenda pro ea vice, abstinere.

CAN. VI. — § 1. Proximo anno 1910 Ordinarii, qui relationis et visitationis obligatione tenentur, ex benigna SS. Mi. D. N. venia eximuntur.

§ 2. Annis autem 1911 et 1912 a relatione et visitatione abstinere licebit Ordinariis, de quibus in §§ 2 et 3 CAN. II, qui anno 1909 iuxta veterem temporum periodum legi satisfecerunt. Qui vero de statu suae

dioecesis referent, hi ad normam novi *Ordinis* a S. Sede statuti huic muneri satisfaciant.

CAN. VII. — Denique quum sacrorum Liminum visitatio et relatio dioecesana ad Apostolicam Sedem non sint confundendae cum lege de visitatione pastorali dioecesis, idcirco vigere pergit rescripta a Concilio Tridentino, sess. xiv, cap. III *de reform.*, his verbis expressa: « Propriam dioecesim (Episcopi) per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant ».

(Sequitur *Ordo servandus in relatione de statu Ecclesiarum* sexdecim capitulis dispositus, quorum titulus — praeter *Prooemium Relationis*, — est prout sequitur: 1. Generalia de statu materiali. — 2. De fide et de cultu divino. — 3. De iis quae ad Ordinarium pertinent. — 4. De Curia dioecesana. — 5. De clero generatim. — 6. De capitulis. — 7. De parochiis earumque rectoribus. — 8. De Seminario dioecesano et de Seminario interdiocesano seu regionali. — 9. De institutis religiosis virorum. — 10. De institutis religiosis mulierum. — 11. De populo generatim. — 12. De iuventutis institutione et educatione. — 13. De piis sodalitatibus aliquaque religiosis consociationibus. — 14. De piis legatis et eleemosynarum collectionibus. — 15. De operibus piis et socialibus. — 16. De editione et lectione librorum et diariorum).

### Ex Congregatione de Religiosis.

#### *Declaratio circa studia a Religiosis peragenda.*

Nonnulli Superiori Generales Ordinum et Institutorum Sacrae Congregationi Negotiis Sodalium Religiosorum praepositae humillime exposuerunt difficultates, quas parit immediata executio recentiorum Declarationum circa studia, d. d. vii mens. Septembris MCMIX<sup>1)</sup>; sive quia alumni in propriis illorum Collegiis degentes, qui ad Novitiatum ingrediendum iam existimabantur sufficienter apti, in Collegiis ipsis, ad statum curriculum studiorum perficiendum adhuc permanere debent; sive quia ipsae novitiorum domus per aliquod tempus claudendae erunt, quum haud facile sit reperire alumnos ad tramitem Declarationum undeque instructos. Ideoque supplices preces dederunt, ut, quoisque iuxta placita ipsius Sacrae Congregationis res apprime ordinentur, praefatas Declarationes benigniori quadam ratione interpretari fas esset.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, cui haec omnia Cardinalis S. Congregationis de Religiosis Praefectus retulit in audience diei xxii mens. Decembris MCMIX, rem mature perpendere dignatus est aqua lance cum expositis difficultatibus bona librando, quae ex immediata executione dictarum Declarationum Ordinibus et Institutis provenient, quae quidem bona non potest esse, quin cedant in utilitatem ipsius Ecclesiae Universae. Et sane, hisce praesertim difficillimis temporibus, aequali ac Sacerdotes saeculares debent scientia pollere Sacerdotes Regulares, quorum consilia Fideles non minori sane fiducia expetere constat; scientia veris vocationibus nedum adimat, potius confert stabilita-

tem; quod si nonnullos abuti contingat scientia, Ordinis vel Congregationis sumptibus acquisita, et ante ingressum in Novitiatum discedere, melius est illos abire, quos ex hoc ipso patet non habuisse propositi constantiam, imo nec amplectendae vitae religiosae animum vere sincerum; longe minor est Ordinibus et Institutis timenda iactura, si minus frequentati, vel prorsus vacuae per aliquod tempus novitiorum domus existant, quam si plenae Sodalibus non adaequate institutis; praestat selectus numerus alumnorum stabilium, quam magnus praetereuntium, integre summopere curandum, ut id quod numero erit inferius, spe reddatur uberior.

His igitur aliisque permotus argumentis, idem Sanctissimus Dominus Noster minoris faciens difficultates expositas, supplicibus precibus haud annuendum, idque omnibus Superioribus Generalibus Ordinum et Institutorum in normam et regulam significandum duxit.

#### *Dubia circa professionem Religiosorum.*

A Saera Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita sequentium dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. Quidam Religiosus, dimissus, ab una Domo Ordinis, de consensu Superioris Generalis, in alia Domo eiusdem Ordinis ad Novitiatum admissus fuit ante Decretum d. d. 7 mens. Septembris 1909, (1) quod incipit « *Ecclesia Christi* », sed post eiusdem Decreti publicationem, professionem votorum simplicium emisit, non implorato Indulto Apostolico. Quaeritur, utrum valid sit professio, an vero sanatione indigeat. — *Resp.* Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

II. Quidam Religiosus dispensatus a votis emissis in alio Ordine, Congregatione vel Instituto, ad Novitiatum in diverso Ordine admissus fuit ante publicationem supradicti Decreti. Quaeritur, utrum ad professionem votorum simplicium indigeat Indulto Apostolico, an vero absque Indulto valeat professionem emittere. — *Resp.* Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

(Ex deer. d. iv mens. Ianuarii MCMX).

## DIARIUM VATICANUM

(Die i mens. Ianuarii — d. i mens. Februarii MCMX)

### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adire, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Belgicae, Borussicae, Columbiana, Argentinae, Bavariae, Monacensis et Russicae civitatis administris cum aulicis suis; Urbani principes Giustiniani-Bandini et Lancellotti eorumque familia; Thurn Comes e Valsassina, optimatum Austriaci coetus legatus; Pignatelli d'Angiò Cavaniglia princeps, eiusque uxor; Pontificium Lusitanorum Collegium; Ioachim Caso, Boliviensis civitatis minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Bonearenses alumni e Pontificio Collegio Pio Latino Americano; Rumenorum administrorum consilii praeses; Anglici et Beda Urbani Collegii alumni; Urbanum Canadiense Collegium; Boissarie doctor Lapurdensis; De Benomar Comitissa eiusque fami-

(1) Cfr. *Vox Urbis*, an. xiii, n. I, pag. 12.

(1) Confr. *Vox Urbis*, an. xiii, n. I, pag. 13.

lia; Othorinus Gentiloni Comes; Marius de Carpeagna Comes, eiusque uxor; Belgica legatio Pontifici sollemniter nuncians Alberti I, novi regis, in civitate sua adventum; Gilbertus Brom, historici Batavi Instituti moderator; Gothofridus Kurth, historici Belgarum Instituti praefectus eiusque collegae; Carolus Bratli, historiae magister ex Dania.

#### Pontificiae electiones.

— Anastasius Rossi, Vicarius generalis Papiensis, archiepiscopus Utinen.; Carolus Liviero, Archipresbyter et parochus Agnen. Patavinae dioecesis, episcopus Tifernaten.; Augustinus Laera, canonicus parochus et provicarius generalis Acquaviven., episcopus Oleastren.; et Ioannes Iosephus Rice, parochus S. Petri de Northbrige episcopus Burlingtponen., renunciantur.

— Petrus Respighi, Cardinalis in Urbe Vicarius, Sacrosanctae Lateranensis Ecclesiae Archipresbyter a SSmo dicitur, loco Purpurati Patris Francisci de Paula Satolli, vita functi.

— Exemus. vir Franciscus Leo Gauthey, episcopus Nivernen. ad metropolitanam ecclesiam Bisuntinensem; et exemus. vir Nilus Mac Neil, episcopus S. Georgii de Terra Nova, ad metropolitanam Vanouverensem promoventur.

— Exemus. vir Sylvester de Souza, archiepiscopi S. Sebastiani Fluminis Ianuarii coadiutor, ad dioecesim Adamantinam transfertur.

— Exemus. vir Corradus Busch, episcopus Spirens. inter episcopos Pontificio solo adstantes adsciscitur.

— Post obitum Tusculani Suburbicarii Episcopi Francisci Card. Satolli, Administrator Apostolicus ad illam diocesim mittitur r. v. Alexander Lupi, in scholis Seminarii Romani docto.

#### Vita functi viri clariores.

Die VII mens. Ianuarii MCMX, Romae, Purpuratus Pater **Franciscus de Paula Satolli**, S. Congregationis studiorum praefectus, vir divinarum humanarumque rerum cognitione insignis. Natus erat in oppido Marsciano Perusinae archidioecesis die XXI mens. Iulii MDCCXXXIX, in Sacrum Senatum cooptatus d. XXIX mens. Novembr. MDCCXCV.

## ANNALES

#### Cretensis quaestio.

Quae nunc apud omnes Cretensis quaestio appellatur et est de conatibus, quibus illius insulae cives a Turcarum iugo se subtrahere tandem aliquando student, currentis quoque anni exordia iterum conturbavit.

Haec autem novissimae controversiae summa. Administrorum collegio, cui Mauromikalis praerat, in Graecia a munere recessenti ob militaris foederis favorem sibi ablatum quum alterum esset suffectum, praeside Dragoumis, id praesertim novi administris sibi proposuere, ut foedus militare sponte solveretur, eius consilio sequuti, nationis coetum « constituentem » convocandi. Tum Cretenses, qui iam legatos suos deputandi apud quemlibet coetum qui Athenis cogeretur, ius repetebant, eo maiore vi institerunt, ut facultas legatorum mittendorum sibi esset illuc, ubi maiore auctoritate de rebus

decerneretur quae fundamenta pubblicae rei effici possent.

Hisce affectationibus Turcarum gubernium commotum, nationes, quibus quasi tutela Cretensis insulae commissa fuerat, certiores fecit, inde belli casum facili oriri posse. Intelligens vero iudicium sanaque mens nunc etiam vicit, ipsaque Graecia de consiliis suis prudentibus atque pacificis Turcas confirmavit, pro certo edicens constituentis coetus coitionem fortasse usque ad anni finem iri dilatum, atque ita fore ut et congruum maturi consilii capienda tempus Cretensis detur, ac tutoribus populis commode providendi occasio.

Sic nubila nunc etiam fauste ac feliciter evanuerunt, pacisque sol, universum orbem radians, clarissime iterum emicuit.

#### PUBLICI PER ORBEM COETUS

#### legibus ferendis

In **Anglia** nova comitia habita inter « unionistarum » et « liberalium » factiones maxime agitata; quae tamen prope viribus aequales ex agmine discesserunt.

In **Borussia** Germanici imperii cancellarius von Bethmann Holweg rogationem legis de comitorum ratione innovanda legatorum coetui proposuit.

In **Gallia** post confirmatam legem de institutione liberorum omni partium vinculo soluta, rationes expensarum pro bello in disceptionem vocatae.

In **Germania** civilis coloniarum ratio et commercii foedus cum Lusitania rata habita.

In **Hispania** Moret eiusque collegis administratorum munere abdicantibus, novum suffectum collegium, cui Canalejas praepositus.

In **Iaponia** nova coetus sessio Katsura et Komura administratorum orationibus inaugurata.

In **Italia** Sonnino, gubernii praeses, proposita sua eiusque collegarum fusa oratione exposuit.

In **Norvegorum regno** contenditum factionum compositae res per novum administratorum collegium, cui Konow praefectus.

In **Russia** votum a legatorum coetu emissum pro exilio poena non in Siberiam modo, sed in quamvis imperii regionem, abolenda.

In **Turcarum imperio** Hakkius, novus gubernii praeses, administrationem ex integro renovandam in aditiali oratione sua protulit.

## ARRAE GORGONIAE

« Vox Urbis » commentarii appendicem, vid. in pag. 32.

## PER ORBEM

Die II mens. Ianuarii MCMX, Römae in Capitolio, Shackleton, australium regionum explorator, publice cohonestatur.

— d. III, Missolungi, centenaria dies commemoratur ex quo Byron poeta primum Graeciam tenuit.

— d. IV, Voisvins in oppido ad Burdigalam, Leo Delagrange, audax ille aéronauta, cum aéroplano suo in terram praecipitat, miseroque fato occumbit.

— d. V, Athenis, necopinato incendio regiae domus pars absumitur.

— d. VI, ad Tüticum, curruum series vapore acta e ferreis saxibus egrediens pluribus viatoribus mortem aut vulnera apportat.

— d. IX, Petropoli, aedes Nicolai Nicolajevic, magni Russorum Ducis, igni vastantur.

— d. X, Rubino, Italicus administer, et Millerand, administer Gallorum, Tenda in colle conveniunt, ad novum ferriviae iter constabiliendum, quod amicos duos populos denuo coniungat.

— d. XIII, Los Angelos oppidi in aërodromo Pau-lham aviator ad passus mille et quingentos cum machina sua tollitur.

— d. XVIII, Constantinopoli, aedes publici coetus legibus ferendis flammis omnino vorantur.

— d. XIX, Forocornelii moritur Andreas Costa, publicorum legatorum e socialistarum factione in Italia princeps.

— d. XXII, Lutetiae Parisiorum, Sequana flumen e limitibus suis excedens, urbem inundat atque immensa damna procurat.

Matriti magnis honoribus excipiuntur milites ex Africano bello reduces.

— d. XXIII, Romae, novae iustitiae tribuendae aedes forensi conventu inaugurantur.

— d. XXV, Neapoli, vehementi maris motu opposita fluctibus per urbem moles heic illuc delentur.

— d. XXIX, Grasse in oppido vita fungitur Eduardus Rod, Helvetiorum scriptor praeclarus.

## DOMESTICA FUNERA

Dum hic « *Vox Urbis* » numerus prelo mandatur,  
cl. Dr. JOSEPHUS FORNARI Antoniam filiam vix decennem  
iethali morbo correptam sibi videt.

Dilectissimi Commentarii nostri Moderatoris immensi  
luctus particeps, ex ipsius desiderio piacularia ab sociis  
omnibus animae dulcissimae invocamus.

Die XVII mens. Febr. MCMX.

## LIBRORUM RECENSIO

De duabus *humanistarum orationibus nuper editis*

Non dubito quin huius Commentarii lectoribus, eiusdem italicae gentis praesertim, gratum facturus sim, si pauca eos de duabus *humanistarum orationibus nuper editis*, edoceam.

Qui eas effudit, is est Dr. Carolus Müllner, vindobonensis, (1) qui nonnullis annotationibus instructas, ad varias scilicet codd. lectiones pertinentibus, quibusdam autem praemissis, in lucem evulgavit. Altera in codice Ottobon. 1153, fol. 115 bis 117 invenitur; altera in cod. 39 bibl. Gadd. plut. 90 sup., fol. 34<sup>a</sup> bis 45<sup>a</sup>. Ambae vero cuiusdam ponderis et momenti sunt, quippe quae confirmant ac validioribus ferme argumentis evincant quae iam de iis diuidicare consuevimus qui saec. xv et xvi latine soluta oratione usi sint.

Altera sic inscribitur: *Ludovici Carbonis oratio ad illustrissimum Marchionem et praestantissimum ducem Borsium Estensem petentis ut excellentissimo oratori ac poetae Guarino Veronensi, magistro suo, succedat in legenda rhetorica et poetica*. Altera autem: *Oratio Marcelli Virgillii habita in principio lectionis, cui titulus: « nihil admirari »*.

Illa, elegantissime quidem scripta et quasi verborum floribus conspersa, admonet nos auctorem peradulescentem, sui ingenii viribus fretum seque nimis extollentem, eloquentiae cathedram a duce Estensi petivisse, quod Guarinus Veronensis, « homo doctissimus atque eloquentissimus, et praeceptor observandissimus », legendae rhetoricae ac poëticæ labore, aetate iam ingravescenti, abieccisset. Videtur enim sibi occasio oblata esse, qua ingenium suum possit ostendere. Quis enim iustius Guarino succedat quam Guarini discipulus? Pergit auctor sua in litteras merita intollerantius iactare et testimonia nonnulla proponit de se bene existimantia. Se enim affirmat unum esse, cui eloquentiae palma tribuenda, cui studia humanitatis commendanda, cui oratorum, poëtarum, historicorum et Graecarum litterarum lectio committenda sit, quod litteras graecas ab homine « omnium excellentissimo » Theodoro (scil. Theod. Gaza) didicerit. Ut autem eorum obiurgationes refellat, qui fortasse gravirem et constantiorem aetatem ad id munus suscipiendum requirant, quaedam afferit exempla, ab antiqua historia deponpta, e quibus elucet iuvenes saepe in republica administranda, in consiliis dandis, in imperio recreando ac restituendo optime se gessisse.

Non desunt iuventutis elogia, Cicero, Hortensius in medium affertur, Homerus quoque comparationes suppeditat: his demum precibus oratio terminatur ne qui, ex omni hominum memoria eloquentissimus esse videtur et dignus certe oratoris nomine, humanissima studia negligere, aut eloquentiae facultatem minus quam ceteras bonas artes colere velit.

Secunda autem oratio, cui titulus horatianum illud: *nihil admirari*, haud caret dicendi apparatu et quoddam redeo artificium.

Ad Florentinos auctor conversus, post prae loquium plus nimio productum in quo, « antecessorum » fortuna commemorata, utpote qui ex temporum tranquillitate iucundissimos securitatis suae sensus capientes ingentes fructus aucta re Latina reliquerint, quum nihil autem supersit quod gratum simul et novum apud audientes fiat, nonnullisque praeterea supervacaneis additis, exponere aggregatur quae fuerit et quae futura sit ex his studiis, scil. bonarum artium, utilitas.

(1) Vide *Neues von den italienischen Humanisten, in Jahres-Bericht des K. Staats-Gymnasiums im VI. Bezirk von Wien für das Schuljahr 1908-1909*.

Causa enim disserendi hac sententia innititur: « omnia nostri animi vitia nullam habere aliam maiorem communio remve causam quam aut nimiam aut falsam admirationem fugiendarum et expetendarum rerum, quarum altera nos ad alia pigros, altera ad alia temerarios efficit, nec esse item aliud, in quo maiora felicitatis nostrae fundamenta iacere possimus, quam aut nullam, si fieri possit, aut iustum saltem rerum admirationem ». Quam in rem longe lateque argumenta expressa afferunt.

De falsis hominum iudiciis queritur, solidiores Aegyptios dolet foedis animalibus honores constituisse, quos apud cani vel thorus in templo sterneretur; ex ignorantia fieri admirationem monet, nihil timere, fortunam tolerare, iniurias ferre, in exiliis bono animo esse oportere, minime divitias amissas aut nunquam possessas, quae a fortuna « precariae » accipiantur. dolere. Multiplici et varia fere rerum omnium cognitione quaerenda est animi tranquillitas abigendusque rerum omnium metus et inanis fortuitorum agonia... Felices profecto nimium quibus ex cognitione causarum maiestatem naturae contingit non admirari! Fuerunt qui crederent navigia retineri adhaerente tantum piscicolo semipedali! Stultos! quorum negligenter culpanda sit! Non tarditatis causa pisciculus est, sed nautarum inscitia quae longo itinere patitur navigiis subcrescere paulatim algam, muscum et spumarum lentorem quibus inhaerentibus adsunt iam conchae illae et echeneides quae spuma pascuntur vivuntque illic ceu in pascuis suis.

Postremum auctor docet potentiam Dei non esse timendum, quod natura illi sit benefacere et gratis beneficia dare, fervidisque verbis huiuscemodi studiorum annonam ad amplissimos patres commendat.

Vidimus iam quid sibi haec duae orationes proposuerint, quave causa ortae sint: nunc pauca de auctoris addenda censemus. Ludovicus Carbo, natus Ferrariae, iam inde ab adulescentia in litteris bonisque artibus eruditus, optimis clarissimisque sane illius temporis praceptoribus usus est, Guarino Veronensi et Theodoro Gaza, ut ipse nos admonet. Quum Guarinus, aetatis causa, abdicare se ab institutione coactus est, is annum vigesimum quartum tantum agens, ut eius in locum supponeretur, petivit, et a. 1456 in Ferrariensem Universitatem accitus est ad rhetorican poëticamque legendam. Multas orationes peregit, inter quas eminet quam ad Guarini funera habuit quamque in *Reden und Briefen Ital. Hum.* Wien 1899 a Müllnero insertam videmus.

Marcellus autem Virgilius Adriani, vel potius M. Virgilius, ut se vocari cupiebat, vir totus in antiquorum scriptorum cognitione versatus, parum sermonis italicici amans, verborumque magis quam rerum studiosus, florentinus, Landini ac Politiani discipulus, ab a. 1497 ad 1502 magna cum laude eloquentiam professus est.

Hoc quoque familiariter Machiavellius usus, una cum eo reipublicae scribæ munere functus est; quin immo ex illius consuetudine haud parum eruditio, optimis sane exemplis nutritae, in suum dicendi genus derivavit: hinc igitur sermonis nitor prudentiaque bene ac venuste sententiarum perdifficilium expromendarum, originem ducunt.

Orationes et de medicina libros scripsit plurimos, Diocoridemque diligentibus commentariis illustravit et vertit.

Iam tum non deerant qui humanitatis studia pro re vili habentes, molestum et inutile quoddam impedimentum iuventuti existimarent: Adrianus pro his, incredibili quodam ardore, ad populum vocem misit et singillatim adversarium crimina refellit (1).

(1). Qui plura de M. Virgilio scire voluerit, adeat VILLARI lib I, 320 (*Machiavelli etc.*); TOMMASINI (*La vita e gli scritti di N. M.*, Roma, 1883); W. RUDIGER, *M. V. Adrianus aus Florenz*, Halle, a. S., 1897; D. BARBARAN, *Lettore dell'A. a Niccolò Valori* (Padova 1880).

Ut quae supra diximus colligamus, his verbis concludi potest: Ex his duabus humanistarum orationibus nuper editis, longe patet nimia ingenii doctrinaeque iactantia, ac verborum ampullæ quibus maxime ii tunc temporis delectabantur. Verum, ut res optimo iure dijudicemus, Lud. Carbonis oratio, quamquam brevior, purior esse videtur, in qua sermonis ornatus et copia quaedam ciceroniana, elucet; Virgilii autem, ut pro argomento, intemperantior, barbaris quibusdam vocibus inspersa et haud semper labore limae perpolita inanique elocutione abhorrens.

MARCUS GALDI.

P. SICHIROLLO. *Nomenclatura tomistica nella teoria del miracolo*, con l'appendice: *I miracoli e i modernisti*. (Rovigo, 1909).

Specimen hoc est operis magni ponderis, quod cl. auctor adgressus est, ut Thomisticam doctrinam explanaret apprime atque defendaret. Quod si licet parva componere magnis, non est ferme dubium quin optimo cum fructu opus idem venturum sit; siquidem cum fructu paginæ nunc vulgatae leguntur; quibus appendicis modo accedit examen circa miraculi doctrinam a Le Roy et Blondel in Annalibus christianaæ philosophiae exhibitam.

P. Ios. GREDT O. S. B. *Elementa philosophiae Aristotelico-Thomisticae*, vol. I, Logica, Philosophia Naturalis. (Edid. Herder, Freiburg, 1909).

Operis clarissimi philosophi nunc in Urbe doctoris editio haec altera quae emendata dicitur, potius renovata appellanda est, eaque quae scholis maxime accommodata prostet. Ibi enim præcipue stylis nitor, præciso diligens, lucidus ordo, et continua tironibus exercitatio, qui tum Aristotelis tum Thomae Aquinatis ipsa verba sub oculis indesinenter habent. Locus quoque fit philosophicis argumentis his diebus maxime in disputationem vocatis, quae auctor clarissime enodat atque solvit.

W. JAMES, *Précis de psychologie traduit par P. Baudin et G. Bertier*. (Paris, Rivière, 1909).

Iamesii docendi ratio sapientibus satis nota est; is enim suum peculiare fecit, difficillimas quaestiones in maximam simplicitatem reducere, ut scientifico - prout vulgo dicitur - apparatu exutae, debiliores animos ad se tollant eosque ad illas cognoscendas impellant. Huiusmodi novo huic Anglico operi tribuendae laudes, atque simul Baudinio et Bertierio, qui in Gallicam linguam idem optime transtulerunt.

A. C. SEWARD, *Darwin and Modern Science. Essays*. (Cambridge, Univ. Press., 1909).

Darwinii nomen id est, ut etiamnunc sapientum mentes occupet; haud igitur mirum hoc anno, in quo iubilaris eius commemoratione celebratur, multas de homine eiusque doctrina commentationes fuisse vulgatas. Harum aliquot collegit Seward, eas præsertim, quas eius collegae in naturae mysteria investiganda incumbentes, ad rem scripserunt. Quamquam earum certe nonnullis assentire ullo modo nequimus, non tamen negare possumus a Sewardiana collectione Darwinismi in saeculi XIX cogitatorum certa satis scientia motum conici li- cere,

I. F.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*¶ Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Mons. L. SCHULLER. *Repertorio per le istruzioni popolari sulla Confessione sacramentale.* Opus SS. D. N. Pio PP. X dicatum. Perutile sacris oratoribus atque catechistis. Tribus indicibus iisque copiosis pluribusque narrationibus et exemplis ex historia de promptis locupletatum. — Editio III - Romae edid. Desclée et soc. (Ven. lib. 4).

ORAZIO PREMOLI, Barnabita. *Fra' Battista da Crema.* Opus iuxta documenta inedita ad historiam religiosam saec. XVI magis magisque enucleandam redactum. — Indidem. (Ven. lib. 1,75).

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *La nostra Religione studiata nella vita della famiglia, della Chiesa e della civiltà.* — Indidem. (Ven. lib. 0,30).

GIULIO BAUDOT. *Il Breviario Romano.* Breviarii Romani origo et historia his paginis describitur. — Indidem. (Ven. lib. 1,80).

Fr. ALEXIUS M. LEPICIER O. S. M. *De stabilitate et progressu Dogmatis.* Editio altera ampliata — Indidem. (Ven. lib. 5).

RENE-MARIE DE LA BROISE. *La Santissima Vergine.* — Indidem. (Ven. lib. 2).

GEORGES GOYAN. *Santa Melania (CCCLXXXIII-CDXXXIX).* — Indidem. (Ven. lib. 2).

## TOCI.

Pius II Pontifex Anconae quum versaretur, audiret que illic adesse proxenetam quemdam Senensem, virum intelligentem, et, ut putabatur, supra omnes aetatis sua perspicacem, eum, ut qui talibus ingenis delectaretur, ad se acciri iussit. Post aliquantum colloquii voluit Pontifex eiusdem annos cognoscere. — « Unum et sexagesimum sum natus » inquit. Hie quum Pontifex dubitare videretur, nudavit ille caput et canos suos ostentavit. Admiratus Papa quomodo non etiam barba incanisset, sed vix quadragenarium eum demonstraret: — « Ne mireris — audivit —, Pater sanctissime, quandoquidem capilli amplius viginti annos barba seniores sunt ».

\*\*

Quum audivisset Erasmus docentem Baptistarum Pium, cuius oratio monstrosa et inusitatibus verbis erat referta, interrogatus ab amico, quid iudicaret: — « Longe — respondit — vicit opinionem meam ». — « Quidnam? » subiecit ille. — « Quia — inquit — antea ineptum esse iudicavi; nunc prorsus insanum esse comperio ».

\*\*

Apud avum nescio quis nepos felices ac beatos praedicabat usurarios, quippe quibus res sua vel dormientibus augeretur et cresceret. Tum ille: — « Ergo tu miser et infelix es, qui vigilans rem tuam imminuis ».

Sigismundus imperator in Concilio Constantiensi a Cardinali Piacentino notatus est violatae grammaticae. Tum ille: — « Si nos sumus supra leges, cur non etiam simus super grammaticam? »

\*\*

Hebraeus cum Christiano contendens affirmabat plures Iudeos esse in caelis sanctos quam Christianos. Paciscuntur ergo ut uterque suos singillatim recenseat et ad unumquodque nomen alteri pilum e barba revellat. Incipit Hebraeus: nominat Abrahamum, et ex pacto pilum Christiano vellit. Christianus nominat S. Petrum, idemque facit. Pergunt hoc modo. Tandem pertaesum Christianus: — « S. Ursula — clamat — cum XI millibus virginum! » et in barbam Iudei invadens, totam simul diripit.

\*\*

Vir nobilis cum servo secundo fluvio devehebatur. Quem quum somnus urgeret, eidem servo mandavit, ut quin ad vorticem, locum periculosum ventum esset, sese expergefaceret. Servus dominum videns placide consopitum et iucundam eius quietem interrumpere nolens, dissimulavit. Evigilat dominus, et: — « Num prope vorticem sumus? — Atqui — ait servus — iam eum transivimus » Hic ille iratus: — « Pessime — inquit. — Te sic negligere mandata mea? Si sic dormiens submersus periisset, istac te manuballistula confodissem ».

## AENIGMATA

a JOSEPHO WABNER proposita.

## I.

Est aliquid, quod volt imitari bestia quaedam.

Si facis hoc, facti bestia nomen habet.

## II.

Est instrumentum, quo occulite vulnera dantur;

Et pars corporis est, mortiferum illud huic.

Ordine perverso si stabit nomen utrumque,

Terra erit, incoleae ubi, ex more, priore necant.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet ALEXII M. LEPICIER opus, recens editum, cui titulus:**

*De stabilitate et progressu Dogmatis.*

Aenigmata an. XII, n. XI proposita his respondent:

1) **Humus;** 2) **Cicer-o**

Ea rite soluta miserunt:

Guilelmus Schenz, Ratisbona. — Petrus Tergestinus. — Hugo Kelly, Tullamora. — Rich. Müller, Berolini. — Maxim. Wronski, Nova Wies Narodowa. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — Alex P. Gest, Trentonio. — Rich. Brondel, Brugis. — Lud. Dubois, Massilia. — I. Wabner, Varsavia Polonorum. — I. M. Meunier, Corbiniano. — Alex Fásztusz, Szatmar. — Mart. Dunne, Neo Eboraco. — Alois. Cappelli, Senis. — Clem. Fiard, Curia Rhaetorum. — F. Correa, Emerita. — Vine. Starace, Neapol. — Fr. Guerra, Atelio. — F. Arnori, Mediolano. — Iac. Fernandez, Mexico. — Lucius Rhaetus, Bucarestino.

Sortitus est praemium:

LUDOVICUS GOUX,

ad quem missa est

IOANNIS BATTANII

ANTHOLOGIA PARVA GRAECO-LATINA.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.

# ARRAE GORGONIAE

## I.

Vigilia aderat iam noctis tertia: undevicesimana castra penes Brueterios, inter Amitiae fluminis fontes mediumque Lupiae fluminis cursum, (ibi enim ad Brueterios prospiciendos muniri legionem Quinctilius Varus consul iusserat) decuria comitante optio circumlustrabat.

Dormientibus castris omnis armorum strepitus per altam noctis quietem silebat, nisi quem properantes circa vallum alterni vigilum gressus ederent: sed hirta circum atque densissima nemora, quae undique ex oppido ad imum castra eingebant, late ululabant vehementi vento quassata. Imminente nitido Iulii mensis novilunio, stellis sine numero splendebat caelum, at nullum per densa silvarum galeae vel cuspides vigilum remittebant lumen. Exiguum agmen alia post aliam adventare primum, modo discedere excubiae animadvertebant: nec aliis sonitus tandem superfuit, nisi silvarum vento frementium, quo interdum consedente, lenis murmur ex ima valle aquae fluentis strepebat. Profecto, Lupia flumen non magis quam biscentum ab aggere passibus Rhenum versus defluebat, cuius argenteas spumas tremulis splendoribus tacitae stellae lingebant; at Naiadum Driadumque nocturnas choreas densissimae arbores a custodibus undevicesimanis invidae prohibebant.

Repente vero, per summam quietem repetiti sagitarum sonitus circa vallum septentrionale audit: ac simul altus equi nitritus ungula quatentis viam. Mox additus ramorum strepitus, quos properantis impetus impelleret, avelleret, atque frangere sensim. Tunc igitur excubia prima, quae pro porta principali ad velutum tentoria vigilabat, (Lucanus quidem erat tirunculus, nec unius quidem anni stipendia meritus) pilum arripuit, ac, turbato licet animo ob insolitum media nocte equitis adventum, per silvae limen, ubi iter ad flumen hiabat, concito pede ultro se obtulit. Nondum vero decimo gressu processerat, quum equus e silva erupit, hirtis crinibus, fumanti anhelitu, oculisque terrore insigni militibus ita ut per ipsam noctem splendescerent.

Miles autem contra belluam prosiliens nihil territus laevam in fraenum dedit, hinnientem ac frementem totis viribus retinuit, iamque equitem elata cuspide petens:

— Recita signum — obiurgavit — aut statim feriam!

At ille, morae impatiens, irata voce redarguit: — Eques Romanus sum, solve lora — atque in his, ad moto calcare, belluam concitavit, quae, extollens sese ac vibrans cervicem, retinentem pene subvertit. Pedes vero, mordicus fraeno haerens, altius vicissim increpuit: — Custodiam ago, aedopol, da signum, aut vivus non procedes!

— Martem obtistor! — retulit ille — duriorem bardum inveni nunquam: iamque indigere te sentio ut crasso capiti ense medear! Imperatoris e castris venio; vestrum signum quâ sciam?

Mox novo equi concussu iactatus: — Abeamus — addit — cito, tiruncule: audisne quam frequens mors circumvolitet?

Dum enim uterque sub vallo disputat, stridere tela undique ac prosilire ex opposito nemore audiebantur et proprius et longius tenebras noctis ferire. Repugnabat autem contumax adhuc pedes, quum hinnitus altissimus et quasi ululatus equi ex ore prorupit, seseque excusso bellua tanta vi, ut quasi expulsatum follem equitem prope deiecerit.

Hie tamen lora retinens genibus ac poplite calcitrantem compescuit, iamque calcar rursus tentabat, quum clamavit statim tanta voce, ut vulneratum extemplo alter crediderit:

— Mala te pestis perdat!... ecquid miserrimo mihi?  
— Habesne? — rogavit inferior — quid clamas?  
— Non ego, herele, non ego: at anima mea Pegasus. Age, palpa, tiro, habet miser in latus!

Prosilierat ex ephippio interea eques atque ipse vulnus palpabat cruentamque excutiens equino sanguine manum peditis attonitam faciem irrorabat. Qui, licet causae inscius, qua equi vulnus tam vehementer illum afficeret, flexit animum tandem. Tunc sustinentes utrinque fraenum ad stationem ambo progrediuntur. Eos vero sequebatur ululans prae dolore bellua, quam herus anxie per tenebras blandiebatur, voculisque iteratis nitebatur frustra placare.

Hac ratione quum portam attigissent, facularios obviam accurrere viderunt, quos centurio excubiarum misserat, ut clamoris insoliti causam explorarent. Ex quibus decurio progressus statim pediti imperavit:

— Quid est, Macci, quid clamas?  
— Haud ego clamo, at hic...  
— Sat est — intercepit eques, tuque, decurio, caudicem hunc lauda, qui a me, Varianis e castris veniente, signum quaerit, quousque Pegasus vulneraretur. Admovere, quaeso, taedas, ut carissimae belluae vulnus videam!

Admota facula lustratur equus, visumque in latere telum defixum sanguisque e vulneris labiis continuo propiliens in humum. Erat autem bellua statura procera ac nobilissima forma, cuius oculi, fletu prae dolore suffusi humano veluti ictu micare ac precari videbantur. Nec eques minore cruciatu affectus apparebat, qui modo belluae suaviter blandiebatur, modo decurioni conquebatur, modo tirunculo furens imprecabatur.

At decurio tandem morae impatiens sistere militem se coram iussit sciscitavitque:

— Quis es atque unde mitteris?  
— Aneus Atilius Vibenna nominor, qui meo equo stipendia facio: Vari Imperatoris ad Caecilium legatus veni.

(*Ad proximum numerum*).

I. A. COSTAGGINI.